

subjungitur interpretatio atque restrictio illorum verborum per ly « ita ut nihil addatur, mutetur, » etc. Et quia in memorata Decreti emendatione « magna ratio habita est operis ipsius dignitatis, et publicæ utilitatis, » prout loquitur sæpe dictum Breve Gregorianum, jam non frustra in eadem accuratissime faciendâ manum apposuisse dignoscuntur summi Pontifices.

71. *Jus canonicum comprehendit sub se Decretum Gratiani, cur?* — Insuper non urget, quod per *Jus canonicum* idem Pontifex etiam denotare voluerit *Decretum Gratiani*. Nam et nos quoque paulo superius inter partes corporis juris canonici (quod per ly *Jus canonicum*, absolute prolatum, datur intelligi) una cum communi doctorum connumeravimus *Decretum Gratiani*; idque ex eo, quia plures sacros canones vim legis ecclesiasticæ habentes complectitur, ut proxime magis declarabitur: inde tamen inferre non licet, quod omnia in ipso contenta vim legis habeant, aut per summum Pontificem approbata fuerint.

72. *An istud fuerit approbatum per Gelasium papam, et Eugenium III?* — Quantum attinet ad auctoritatem extrinsecam doctorum, citatis supra doctoribus opponimus plurimos alios, imo et communiorem aliorum. Dum autem Molfesius, et cardinalis Tuschus, nec non scriptor vitæ Gratiani (ut ait Thomas Cananus, Repetit. in proem. *Decreti*, n. 615 et 625.) referunt dictum Decretum esse approbatum per Gelasium Papam et Eugenium III; resp. optandum fore ut pariter attulissent exemplar dictæ approbationis, quatenus hac ratione constare posset an illud approbatum fuisset, quoad omnia et singula tanquam vim legis universalis habentia, vel solum quoad aliqua. Interim, de tali approbatione, an, quo anno ac die, et quomodo fuerit facta, certi nihil invenire licuit, et quidem neque in *Bullario Romano*, neque in aliis de hac materia tractantibus, prout inter alios notavit Cananus, cit. n. 615, nudæ horum doctorum assertioni in contrarium opponitur, et pro majori datæ nostræ responsionis comprobatione affertur decisio Rotæ apud Pennam, decis. 480, ubi inter alia sic habetur: « Nec refert illos canones recenseri in decreto a Gratiano compilato: quia cum Gratianus non publica auctoritate infinita queque illa canonum ecclesiasticorum, et legum etiam secularium capitula in suum librum contulerit, nec legis condendæ auctoritatem habuerit, nec ab aliquo Ro-

mano Pontifice liber ille (NB.) tanquam authenticus, et legalis approbatus fuerit; inde fit, quod quilibet canon inibi relatus, ex eo tantum quod ibi referatur, non habeat majorem auctoritatem, quam in proprio loco consistens de sui natura esset habiturus. Nec Gregorius XIII Gratiani librum, tanquam legalem authentizavit, cum solum emendari jussisset, et emendationes sine additionibus, aut detractionibus mandaverit observari. » Hactenus citata decisio Rotæ.

73. *Contenta in Decreto Gratiani revocantur ad suam primævam auctoritatem.* — Resp. II. Canones, aliaque contenta in *Decreto Gratiani*, debent revocari ad suam primævam auctoritatem, id est, ad illam, quam a suis conditoribus acceperunt, ut proinde ex eo quod in Decreto referuntur, majorem non habeant auctoritatem, quam de se haberent, si extra illud atque in proprio loco existerent. Ita proxime relata decisio Rotæ, Scotus, Gonzalez Tellez, Layman, Engel, aliique n. 63 allegati. Ratio est, quia ex una parte Gratianus compilationem Decreti fecit dumtaxat auctoritate privata, neque habuit potestatem condendæ legis; ex altera vero parte necdum sufficienter constat Decretum illud ab aliquo Romano Pontifice approbatum fuisse tanquam authenticum, et habens vim legis universalis; imo hoc per citatam Rotæ decisionem expresse negatur; ergo manifeste sequitur quod contenta in sæpe dicto *Gratiani Decreto* aliam auctoritatem non habeant, præter eam, quam ex se habent atque a suis conditoribus acceperunt. Probatur hoc ipsum inductione, simulque declaratur amplius data conclusio.

74. *Sex generatim in Decreto Gratiani continentur.* — Siquidem sex generatim sunt quæ continentur in *Decreto Gratiani*, videlicet: I. Decreta, sive constitutiones summorum Pontificum; II. Decreta conciliorum tum generalium, tum provincialium; III. Dicta sanctorum Patrum; IV. Leges imperiales, seu Juris civilis; V. Dicta, et resolutiones ipsius Gratiani; et VI. Canones illi, qui *Palea* inscribuntur, quanquam hi ad unum aliorum membrorum commode reducantur, ac proinde, quod illis dicitur, servata proportione, de Paleis dictum intelligatur.

75. *Decreta summorum Pontificum, et conciliorum generalium: quæ obligant?* — Et quidem, quantum attinet ad primum, et secundum, ea quæ refert Gratianus ex decretis summorum Pontificum aut conciliorum ge-

neralium, simulque inveniuntur in suis authographis, procul dubio habent vim legis universalis et auctoritatem *decisivam*, quia istam habent jam ex se ipsis, atque acceperunt a suis conditoribus, neque eam amiserunt per hoc, quod postmodum inserta fuerint libro Gratiani. Additur notanter, « simulque inveniuntur in suis authographis. » Nam si in istis non habeantur (quod de facto post emendationem Gregorii XIII videre licet in annotationibus ad singula capitula positus) vim legis Ecclesiæ non habebunt: hanc enim a Gratiano, vel approbatione pontificia non habent, ut sæpe jam dictum; a conditoribus vero suis non acceperunt, cum a concilio generali, vel Romano Pontifice revera non emanaverint.

76. *Decreta conciliorum provincialium; ubi ei de horum obligatione.* — Cæterum loquendo de conciliis provincialibus horumque decretis, hæc potissimum concernunt proprias provincias, pro quibus lata fuerunt, nisi per Sedem apostolicam approbata sint. Et hoc ultimum idcirco additur, quia can. *De libellis*, dist. 20, præter quatuor concilia generalia nempe Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, et Chalcedonense, plura alia concilia per Leonem IV fuerunt approbata veluti talia quorum canonibus utendum est in judiciis ecclesiasticis: nominatim Ancyranum, Neocæsariense, Gangrense, Antiochense, Laodicense, Sardicense, Africanum et Carthaginense. Nam horum canones antea jam Sedes apostolica videtur approbasse, eisque usa fuisse, quando in codicem canonum, de quo fit mentio in can. *Si Romano-rum*, dist. 19, eos referendos curavit; prout ibidem in annotationibus, §. *Carthaginensium*, notatur.

77. *Dicta sanctorum Patrum; et cujus sunt auctoritatis?* — Quantum ad dicta sanctorum Patrum *Decreto Gratiani* inserta, sciendum quod ea per hoc nullam legis auctoritatem acceperint, ob rationes hactenus allatas; atque etiam ex seipsis vim juris, ac *decisivam*, in judiciis non habeant: siquidem in jure condendo, censisque definiendis, non sola sanctitas, aut scientia, sed magis potestas est necessaria; prout notat Gratianus in §. *Sed aliud*, dist. 20. Nihilominus, cum sancti Patres pleniori gratia sancti Spiritus, ampliori-que scientia aliis præcelluerint, ac proinde in suis dictis magis veritati, rationique adhæsisse probentur: ex diuturna consuetudine, usque tribunalium, eorum dicta etiam in

foro externo, atque ad causarum decisionem frequenter, nec otiose, sed nervose allegantur; cum multum deserviant ad directionem, et correspondentium causarum decisionis æquitatem ostendendam. Et hoc vel maxime, si tale emerit negotium, quod minime possit per sacros canones definiri: Tunc enim « dicta sanctorum doctorum, si reperta fuerint, magnanimitè sunt retinenda, ac promulganda; vel ad apostolicam Sedem referendum de talibus; » prout statuitur cit. can. *de Libellis*, dist. 20. Uno verbo: dicta sanctorum Patrum sunt doctrinalia, sive magisterialia; non vero undequaque authentica seu vim legis habentia.

78. *Leges imperiales; et quæ harum acceperint novam vim obligandi?* — Leges imperiales, sive ex jure civili in *Decreto Gratiani* relatæ, per hoc novam vim obligandi non acquisierunt, ob rationes jam allatas, sed remanent in antiquo suo robore. Excepe tamen illas leges civiles, quas Gregorius Papa in can. *Imprimis* II, q. 1 accepit; simulque eas, quæ postmodum Decretalibus Gregorii IX vel Bonifacii VIII aut aliis constitutionibus apostolicis insertæ sunt; nam ex per hoc auctoritate apostolica approbantur, sicque vim legis canonicæ et obligantis totum mundum christianum accipiunt, juxta illud: « Omnia nostra facimus, quibus auctoritatem impertimur, » ut dicitur in l. I, §. *Sed neque*, C. *de Veteri Jure enucleand.*, et c. *Si apostolica*, de *Præbend.* in 6. atque in simili notat Abbas in cap. 1, a principio, de *Præsumpt.*, et Felinus ibidem n. 1. Quinimo Fagnanus c. *Inter alia*, n. 6, de *Immunit. Eccles.* addit quod lex civilis inserta canonibus per hoc censeatur canonizata, et non amplius dicatur *Lex civilis*, sed mutato nomine *Canon*, juxta illud jam allegatum, « Omnia nostra facimus, etc. »

79. *Dicta, et resolutiones ipsius Gratiani: quæ sunt magisteriales?* — Quantum attinet ad dicta, atque resolutiones ipsius Gratiani (quæ communiter cursivo caractere imprimi solent, ad differentiam aliorum textuum) major auctoritas ipsis non inest nisi magisterialis, sive doctoris alicujus privati. Quinimo non semel Gratianus, ut homo, lapsus est, et errores suis dictis immixcit, in quibus proinde relinquendus, et modeste corrigendus, aut explicandus erit.

80. *Nonnulli errores Gratiani referuntur.* — Sic imprimis Scotus in 4. dist. 47, q. un. §. *In ista questione*, optime notavit quod, dum

Gratianus in §. *Humanum*, dist. 1. inquit: « Jus naturale est, quod in lege et Evangelio continetur, » is non recte loquatur de jure legis naturæ: quia nec omnia illa, quæ continentur in Scriptura Veteris et Novi Testamenti, sunt principia practica nota ex terminis, nec conclusiones practicae demonstratae, nec vera evidenter consona talibus principiis, et conclusionibus. « Exponendus ergo est (subdit modeste Doctor subtilis) quod extendit jus naturale ad jus positivum ab auctore naturæ, distinguitur contra jus positivum ab aliquo, qui non est auctor naturæ. »

81. *Ejus verba in § Humanum, dist. 1, modeste exponuntur.* — Sunt equidem non pauci, qui Gratiani verba in alio sensu explicare conantur, videlicet, quod non intenderit dicere omnia quæ in lege et Evangelio continentur esse jus naturale (oppositum enim idem docuerat in § *His itaque respondetur*, dist. 6.) sed e converso, quod omne jus naturale contineatur in lege et Evangelio; prout post D. Thomam 1, 2. q. 94. art. 4. ad 1. interpretatur Navarrus, de *Pœnit.* dist. 5, n. 9, et Barbosa, in § *Humanum*, n. 4, dist. 1, citans Scotum, et alios. Sed sciendum quod juxta hanc explicationem, vel verba Gratiani sint legenda per parenthesis taliter: « Jus naturale est (quod in lege, et Evangelio continetur) quo quisque jubetur alii facere quod sibi vult fieri; et prohibetur alii inferre quod sibi nolit fieri; » vel verba illa intermedia, « quod in lege et Evangelio continetur, » in fine collocari debeant, ut sensum prædictum faciant. Quia igitur juxta mandatum Gregorii XIII, in *Decreto Gratiani* jam emendato, debent « omnia quam diligentissime retineri, ita ut nihil addatur, mutetur, aut imminuatur, » prout loquitur Breve apostolicum citati Pontificis; hæc explicatio non caret difficultate. Igitur vel retineatur interpretatio Doctoris subtilis, vel dictum istud inter errores Gratiani connumeretur.

82. *Item, nonnulli errores Gratiani referuntur.* — Deinde Gratianus in § *Necessario* et §§ seqq. dist. 76. erravit, docendo quod vigilia Pentecostes non sit necessario jejunanda: unde merito ibidem taxatur a Glossa y. *Observantia*. Item in § *Opponitur*, II, q. 7, ait, quod laici non criminosi possint accusare clericos: « Quod falsum est » (inquit Glossa ibidem. v. *Opponitur*), nisi suam vel suorum injuriam prosequantur; c. *De cætero*, XIV de *Testibus*, cum concordantiis ibidem a Glossa v. *Canonum* allatis. Insuper post can. *Placuit*

§ *Quas actiones*, XVI, q. 3. Gratianus quantum ad tempus præscriptionis complendæ, facit discrimen inter ecclesiam et monasterium: et ait quod ecclesia adversus ecclesiam, non nisi quadraginta annis præscribere permittatur; atqui in hoc non bene distinxit, quia hodie sola quadraginta annorum præscriptio currit adversus ecclesiam, nulla facta distinctione inter ecclesiam et monasterium, c. *De quarta*, juncta Glossa, v. *Quadragesima*, de *Præscriptione*. Plures alios Gratiani errores refert Bartholom. Cepolla. tom. I, *Tractatum*, tract. de *Cognitione librorum juris canonici*, n. 14, et seqq.; exinde n. 27 merito concludens quod liber *Decretorum* non est approbatus quantum ad dicta Gratiani quæ quotidie reprehenduntur. (ADNOTATIO II. *Ad calcem hujus volum.*)

83. *Ac palea. Capitula Palea inscripta non continent res mere leves.* — Queritur II. Cur nonnulla capitula, seu canones *Decreti Gratiani*, inscribantur *Palea*? Resp. I. Etsi non defuerint, qui per capitula *Palea* inscripta, in quibus agitur de gravissimis rebus ac negotiis: ut can. *Constantinus*, dist. 96, ubi sub duplici capitulo, *Palea* prænotato, fit præclarissima mentio, quod Constantinus imperator Ecclesiam beati Petri apostoli construxerit; palatium Lateranense, et Romam urbem, coronam insuper, omnemque regiam dignitatem in Italia, et partibus occidentalibus, beato Sylvestro Papæ, omnibusque ejus successoribus, qui usque in finem mundi in Sede beati Petri erunt sessuri, concesserit, atque reliquerit; et imperium, et regni potestatem in Orientem, seu Byzantium transtulerit; atque inter alia decreverit, ut Sedes Romana principatum teneat, tam super quatuor præcipuas sedes, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, et Constantinopolitanam, quam super omnes in universo orbe ecclesias Dei: qualia procul dubio non sunt res inanes, ac leves. Accedunt plura similia capitula quæ *Palea* inscribuntur: ut can. *Sed pensandum*, dist. 6, et can. *Nullus presbyterorum*, ac seq. dist. 44, in quibus agitur partim de tribus, quibus peccatum impletur, nimirum suggestione, delectatione et consensu: partim de iis, quæ presbyteris vel maxime vitanda sunt; ac proinde levia non existunt. Omittuntur alia capitula, materias tam utiles, atque excellentes continentia, ut nullus *Decretorum* liber de cætero censeatur esse perfectus, qui *Paleas* nou

habeat; prout loquitur Cepolla, loc. cit. n. 4.

84. *Sed sunt additiones quedam.* — Resp. II. Capitula illa, quæ *Palea* inscribuntur, sunt *additiones* quedam; sive talia capitula, quæ primitus per Gratianum in *Decreto* posita non fuerunt, sed postea primum eidem inserta sunt. Ita admonitio ad lectorem *Decreto Gratiani* præfixa, § *In alio*; ubi pluribus aliis præmissis, « colligit has *Paleas* esse *additiones* non eodem tempore factas ad primam collectionem Gratiani, in margine primum adscriptas. » Idem tradit Fagnanus in c. *Canonum statuta*, XLIV, de *Constitut.* dicens: « Illud tamen fere apud omnes in confesso est Gratianum non fuisse illarum *Palearum* auctorem: quod inde convincitur, quod in vetustis et emendatioribus codicibus non reperiuntur. » Concordat Barbosa, loc. cit. n. 8. Cepolla, n. 3, atque communior doctorum. Et desumitur hoc ex eo: quia ejusmodi capitula, *Palea* inscripta, absunt a primo Vaticani exemplari (prout notatur in annotationibus ad can. *Sed pensandum*, y *Palea*, dist. 6, et alibi) atque etiam a pluribus aliis, præsertim antiquis *Decretorum* libris, qui *Paleas* hujusmodi vel omnino non habent, vel saltem non omnes, utpote quas primitus ad marginem adscriptas postea quidam *librariorum* omiserunt, quidam vero in *contextu* posuerunt: donec tandem, cognito quod isthæc capitula utilia sint, ea omnia *Decreto* inserta fuerint. Ex quibus manifeste liquet quod capitula illa, *Palea* inscripta, sint quedam *additiones*.

85. *Cur additiones ejusmodi nomine Palea prænotentur? Refertur prima quorundam opinio.* — Querens autem cur ejusmodi *additiones* nomine *Palea* prænotentur? Resp. varias circa hoc extare doctorum sententias, uti videre est in admonitione ad lectorem, *Decreto Gratiani* præfixa. Et quidem, dimissis aliorum opinionibus minus probabilibus, non pauci sunt, qui existimant auctorem dictarum *additionum* fuisse quemdam discipulum Gratiani qui vocabatur *Palea* (Jo. Andreas in *Additione* ad *Specul.*, tit. de *Disput. et allegat.*, § fin. appellat ipsum *Protopaleam*: at vero Baptista de S. Blasio, *Repetit.* in rubricam *Decreti*, n. 42. illum vocat *Pochapaleam*) quique postea propter eminentem scientiam suam ad cardinalatus dignitatem evectus fuisse, atque ejusmodi capitula per ipsum addita, a suo nomine, *Palea* inscriptis dicitur: prout censent Thomas Cananus in *Repetit.* in prooemium *Decreti*, n. 618 et

624; Maranta, part III *Speculi aurei*, n. 36, citans plures alios; Card. Tuschus lit. D. concl. 110 n. 7; Imola, Jo. Andreas, et alii.

86. *Verior sententia, ex notabili facto ortum hujus inscriptionis desumens.* — Verum magis credibile, ac veritati consonum videtur illud quod tradit Cepolla, cit. tract. de *Cognitione librorum juris canonici*, n. 2. et post ipsum Fagnanus in c. *Canonum statuta*, n. 44, de *Constitut.*, videlicet nomen illud *Palea* fuisse præfixum *additionibus* *Decreti* occasione sequentis notabilis facti. Nam (inquiunt) cum Gratianus monachus *Decretum* a se compilatum Romam detulisset, ut summo Pontifice probaretur, id cardinali cuidam doctissimo primum tradidit, ut Pontifici Probandum præsentaret. Cardinalis alienæ laudis et gloriæ cupidus, operis intelligens nobilitatem, sese auctorem ejus ostendere in animo constituit: unde multa sanctorum Patrum et Pontificum dicta, Gratiani ordinem secutus, addidit. Orta deinde apud Pontificem quæstione, quis eorum illius operis auctor extiterit, offert se Gratianus, ut ipse scriptor esse ab omnibus intelligi posset, ordinem libri et partes, ac singula ejus capitula ad sensum, non autem ad verba memoriter recitare. Cardinalis assensit, putans se auctorem declarandum, cum multa de suo addita fuissent, quæ Gratiano certe ignota esse sciebat. Dum igitur Gratianus omnia singulariter, prout statutum erat, perfecte referret, prætermittebat quandoque capitula, quæ cardinalis addiderat, quorum penitus erat ignarus. Igitur a cardinali quamprimum opponitur, quod librum nesciat, adeoque ipsum non composuerit. Gratianus econtra, intelligens ea, quæ prætermiserat, non esse de suo opere, sed *additiones* cardinalis, respondit: « Ubi sunt hujusmodi capitula *Palea* sunt, nec de meo grano. » Et exinde capitula illa, quæ cardinalis addiderat, *Palea* appellata sunt. Huc respexisse videtur Archidiaconus, dist. 91, can. *Presbyter*, n. 1, dicens: « Hoc capitulum habetur hic pro *Palea*, sed pro grano ponitur extra de *Celebr. Missar.*, cap. 1. »

§ VI.

DE AUCTORITATE DECRETALIIUM, CLEMENTINARUM, EXTRAVAGANTIUM SUARUMQUE RUBRICARUM.

87. *Libri Decretalium, Clementinarum, et Extravagantes habent indubiam auctoritatem.*